





#  
49.

**LAETA VOTA**  
**SUBMISSAE MENTIS**  
QUAE  
PRIMA LUCE ANNI  
**M DCC XXVI**  
OPTATIS AUSPICIIS EXORTI  
**VIRO**  
ILLUSTRI AC GENEROSISSIMO  
**IO. CHRISTIANO**  
a **DÜRFELD**  
S. R. M. BORUSS. CONSILIARIO INTIMO  
IUSTITIAE AC REGIMINIS NEC NON CONCILII ECCLESIA-  
STICI PER DUCATUM MAGDEBURGICUM ITEM REGIO  
PRAETORI MAGDEBURGICAE CIUITATIS, CONVICIUS  
LIBERALIS IN EADEM PROUINCIA  
**DIRECTORI**  
MENTE DEVOTA APPRECAVTVR  
**CONVICIUS PROUINCIALIS**  
IN DUCATU MAGDEBURGICO  
**ALUMNI.**

---

HALAE MAGDEBURGICAE  
Typis CHRISTIANI HENCKELII Acad. Typogr.





\* \* \*



Omuli dum antiqui celebrarunt festa ne-  
potes  
Iani, quem gemina coluerunt fronte bi-  
formem.  
Sacra nouis Patri superum sunt facta Ka-  
lendis

Quod modo nascentem ueherent mortalibus annum  
Illa dies ducibus dedit otia, castra silebant  
Classica nec pugnas renouabant rauca priores,  
Armaque cessabant crepitantia, milite lætas  
Has celebrante uices. Patres Populusque, Quirini,  
Mollia securi peragebant otia Romæ.  
Et pueri teneræque suis ad templa puellæ  
Carminibus votisque piis cum plausibus ibant.  
Quisque sacris meritos aris mactabat honores,  
Victima purpureo tingebat sanguine terram:  
Ignibus incensis tum mascula tura sonabant,  
Flammiferis ardens splendebat nubibus æther,  
Infectusque dies solem fuscabat odore.  
Non aberat quidquam, quod festi augeret honorem  
Prospera dicebat uerba omnis turba precesque  
Alternas, ne quid dirum portenderet omen.  
Munera mittebant, faustum quibus omen inesse  
Credebant, dulci uelut est Caryota sapore,  
Mellaque, quæ grata dulcedine fausta notabant  
Tempora: quin sequior multum mutauerat ætas.



Namque sub auspiciis anni mox aurea dona  
Effusa retulere manu. Quis cetera digne  
Narret & exiguo comprehendat singula versu?  
ILLUSTRIS DURFELD, nunc cum mortalibus an-  
Igniuomis Titan radiis conuersus ab Austro, (num  
Inchoat, & rutilum spargit iubar axe calente  
Purpureisque comis nostras fulgentior oras  
Illustrat, meliorque dies resplendet Olympo:  
Ad TE nostra venit nascente hoc tempore Musa,  
Proque salute TUA facit ardentissima vota.  
Nam TUA nostra salus, florent TE Præside Musæ,  
TEque suo vere lætantur Apolline magno:  
Totaque FRIDRICI votis Academia feruet,  
TEque suum decus hoc diuinis laudibus effert.  
Namque quis ignorat curam multosque labores,  
Queis male concussim domuisti fluctibus æquor;  
Quum iam pigra quies & pax turbata iaceret:  
Gloria tum sedi Musarum reddita per TE  
Pristina, compositæ lites sine litibus: Ergo  
Laudis TUA, donec erunt Musæ, nomenque manebit.  
An vero facilis, Musæ, præconia TANTO  
Digna VIRO dignis labor est extollere verbis?  
Ardua res, & opus multa grauitate laborans,  
Non nisi diuina conandum mentibus arte  
Docta, quibus miscet facundaque pocula Phœbus,  
Et quas Castalij fontes rigat amne diferti.  
Attamen amissas doleat facundia voces,  
Impositumque suis humeris onus esse queratur  
Singula qui cupiat complecti illustria facta,  
Gestorumque velit seriem componere versu.  
Namque VIR ILLUSTRIS sublimi fidera tangit  
Vertice, qui laudum lætissima conspicit arua:  
Quem REX, quem PROCERES Regni, CELSIQUE MINISTRI,  
Quem CIUES deamant, SACRÆ obseruantque CAMOENÆ:  
Quem rigor & pietas, sancti ac sollertia iuris  
Nobilitat, cuius nulla caligine castam  
Inficiant animis dominantia munera mentem,  
Quem cuncti dicunt ASTRÆA IUDICE IUSTUM.

Tanta seges laudum, tantus reperitur aceruus;  
Nec potuit pietas angusto limite claudi  
Namque ædes tantum colit **AMBROSIANA** pa-  
rentem,

**AEDES** magnifico & Regali splendida sumtu,

Cetera quis nescit? quæ numquam carmen in vnum

Colligat, & numeris describat nostra Thalia

Promptius imponas glaciali Pelion Ossæ,

Quam tantum emensus laudum superaueris æquor.

**TU COLLECTA TENES, VIR QUAE DIUISA BEATOS**  
**EFFICIUNT**, maiora sua sunt omnia laude.

Ergo nihil superest, nisi pectora feruida votis:

Nec meliora **TIBI** submittere nouit egestas.

Non caryota **TIBI**, non carica dulcis habetur

In pretio, nec palma, fauo nec mella recenti,

Non aurum, nec opes, nec splendida munera Croesi

Non Ebur Indorum, non candida vellera Serum,

Non humiles animos capientia mittimus æra.

Nam quid habent digni cœlesti hæc munera mente?

Accipias igitur, quæ fundimus, intima Vota:

**SUMME VIR**, optatis currat **TIBI** gressibus annus,

Hicque dies melior redeat per sæcla quotannis.

Vive **VIR ILLUSTRIS CARA** cum **CONIUGE**

felix,

Donec confectis annis transcenderis astra;



2°

Gb 956,

ULB Halle 3  
001 594 781  


St 2

Walter Becker  
Buchbinderei  
Halle, Thüringer Str. 24

WOM







#9.  
40.  
1

# LAETA VOTA



MISSAE MENTIS  
QUAE  
 RIMA LUCE ANNI  
 DCC XXVI  
 S AUSPICIIS EXORTI  
 VIRO  
 AC GENEROSISSIMO  
 CRISTIANO  
 ÜRFELD  
 S. CONSILIARIO INTIMO  
 MINIS NEC NON CONCILII ECCLESIA-  
 UM MAGDEBURGICUM ITEM REGIO  
 EBURGICAE CIUITATIS, CONVICIUS  
 S IN EADEM PROUINCIA  
 DIRECTORI  
 TE DEUOTA APPRECIANTVR  
 TUS PROUINCIALIS  
 CATU MAGDEBURGICO  
 ALUMNI.  
 AE MAGDEBURGICAE  
 STIANI HENCKELII Acad. Typogr.

